



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

V. An Theologia sit vna scientia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

tali coniunctione gradum certitudinis, sed manent in sua pura probabilitate, quam suapte naturā habent, & consequenter conclusio, quæ iuxta artem syllogisticam sequi debet partem debiliorem, semper erit probabilis & contingens.

76. Ad tertium nego consequentiam: neque enim supernaturalitati habitus obesse debet, quod acquiratur ex nostris actibus; quia quando actus sunt supernaturales, quales sunt assensus Theologici, ut ex eorum motu & certitudine supernaturali supra deduximus, non possunt nisi supernaturalem habitum gignere. Quare ad consequentiæ probationem nego antecedens: etenim ex mea sententia duplex datur genus habituum supernaturalium; alterum infusorum, acquiritorum alterum: illi præcedunt actus, & ad instar potentiae dant posse simpliciter; unde à proprijs actibus augeri non possunt: isti subsequuntur actus, & ad instar habituum naturalium necessariò supponunt infusos, tanquam potentias, solumque conferunt in operando facilitatem, à suisque actibus intenduntur. Fundamentum meum est: quoniam, ut in Logica docui, habitus acquisiti sunt ipsæmet species actuum in potentia relictæ, quæ magis, ac magis perfectæ ac radicatæ per exercitium plurium ac plurium actuum, potentiam faciunt ad con-similes actus circa idem obiectum eliciendos. Sed actus supernaturales non relinquunt nisi species supernaturales, cum species sit virtualis imago & representatio obiecti: atque adeo qualis erit actus, talis erit species ab ipso producta, & in potentia relictæ. Ergo præter habitus supernaturales infusos dantes simpliciter posse, concedendi sunt etiam acquisiti ex actibus ipsis supernaturalibus frequentatis, præbentes tantum facilitatem circa idem obiectum: ut fusè in 8. tomo disp. 1.

77. Ad quartum nego Maiorem, si loquamur de habitu Theologico inclinante intellectu ad conclusiones deductas ex principiis revelatis, creditis fide Divinā: quia cum in hæretico non sit habitus fidei infusæ, non potest ad conclusiones procedere ex principiis revelatis, creditis fide Divina, quæ necessariò prærequiritur ad perfectum assensum Theologicum.

78. Concedo verò maiorem, si loquamur de habitu Theologico inclinante ad conclusiones deductas ex principiis revelatis creditis tantum fide humana. Verum hic habitus nō est in substantia supernaturalis, cum nullum sit principium supernaturale, ex quo illius supernaturalitas deduci possit, ut supra explicatum est.

79. Ad quintum aliqui causam efficientem supernaturalem assensus Theologici, assignant ipsos assensus supernaturales fidei in principia ipsa revelata, qui simul cum intellectu effectivè influunt in assensum conclusionis. Sed contra; quia cum assensus sit actus vitalis, non videtur habere vim

activè influendi in alium actum vitalem, ut inductione constat de reliquis actibus vitalibus: Solum enim principia revelata ad assensum conclusionis Theologicæ concurrunt obiectivè, sicut omnes præmissæ ad assensum conclusionis. Quare dicendum est causam efficientem supernaturalem assensus Theologici, esse ipsum habitum fidei infusæ, quæ non solum se extendit ad actum fidei formalis & explicitæ, sed etiam ad actum fidei virtualis & implicitæ: qualis est assensus Theologicus in conclusionem; implicitè contentam in præmissis revelatis.

79. Ex dictis deducitur, certior em esse conclusionem Theologicam deductam ex utraque de fide, quàm ex vna de fide, & altera naturali. Fundamentum est: quia quantò conclusio est propinquior principio, ex quo deducitur, tantò est certior; quia tantò magis participat certitudinem principij, propter quam ipsa asseritur. Sed conclusio deducta ex utraque præmissa de fide est propinquior principiis revelatis, ex quibus deducitur, quàm conclusio deducta ex vna tantum de fide: ergo. Minor probatur: quia conclusio deducta ex vna tantum præmissa de fide, continetur in altera de fide, media præmissa naturali; deducta verò ex utraque de fide continetur nulla media præmissa naturali, sed tantum medio discursu naturali; ergo est propinquior principiis, atque adeo certior.

SECTIO V.

An Theologia sit vna scientia.

80. **P** R I M A Sententia negat, Theologiam esse vnam scientiam. Est Goffredus. Aureolus. 2. Prologia. 3. Fundamentum est: quia illa scientia non est vna, quæ non habet obiectum formale vnum: Theologia non habet obiectum formale vnum; ergo non est vna. Maior patet: quia unitas scientiæ sumitur ex unitate obiecti formalis. Minor probatur primò; quia obiectum Theologiæ est partim prædicum, partim speculativum: atqui hæc duo nequeunt in vnum obiectum formale simul convenire, cum sint rationes primò diversæ, diuidentes habitum in duas species primò diversas; ut constat de Ethica & Metaphysica, quæ sunt duæ scientiæ specie diversæ, non aliunde nisi quia illius obiectum est ens operabile; huius verò speculabile. Secundò Theologia quæ primò agit de Deo & creaturis; nullus autem conceptus communis est Deo & creaturis, ergo.

81. Secunda Sententia docet, Theologiam, quæ conclusiones infert ex utroque principio revelato, esse vnam specie scientiam; Theologiam verò, quæ conclusiones infert ex vno principio revelato, & altero naturæ lumine noto, esse specie diversam, camque,

Goffredus.
Aureolus.

Molina.
Granadus.

eamque, in tot specie habitus multiplicari, quot sunt principia naturalia specie diuersa, quæ ad conclusiones Theologicas concurrunt. Est Molina P. P. q. artic. 3. Disp. 3. in fine. Granadi in P. P. tract. 1. Disp. 8. Discriminis ratio est: quia prioris obiectum formale semper est idem, ipsa videlicet autoritas Diuina applicata per discursum: posterioris verò obiectum formale semper est diuersum à priori, & interdum varium, iuxta varietatem principiorum, quæ cum reuelato principio ad conclusiones concurrunt. Antecedens quoad primam partem constabit ex dicendis: quoad secundam verò probatur: quia obiectum formale Theologiæ sunt principia ipsa, ex quibus Theologica conclusiones inferuntur: atqui hæc sunt diuersa in vtroque assensu; Nam quando vtrumque principium est reuelatum, adæquata ratio assentiendi conclusioni est sola autoritas reuelantis, euidenti discursu applicata: quando verò cū principio reuelato coniungitur aliud principium naturale, adæquata ratio assentiendi non est sola autoritas reuelantis, naturali discursu applicata, sed etiam aliud principium lumine naturæ notum. Nam hoc simul cum reuelato integrat adæquatum motuum assentiendi: quod quia variatur iuxta varietatem principiorum naturalium, variatur & ipsum motuum formale adæquatum assentiendi: atque adeo tot erunt specie Theologici assensus, quot fuerint specie naturalia principia, quæ cum ipso reuelato principio ad conclusiones concurrunt.

82. Confirmatur, nam certior est conclusio deducta ex vtroque principio reuelato, quam ex vno reuelato & altero naturali: ergo vna specie differt ab alia. Consequentia constat: quia sicut ex maiore certitudine conclusionis Theologiæ supra quamcumque conclusionem naturalem, colligimus specificam diuersitatem inter eas: ita ex maiore certitudine conclusionis Theologiæ deducta ex vtroque principio reuelato, & vno reuelato & altero naturali, colligere debemus specificam diuersitatem inter illas.

S. Thom.

83. TERTIA Sententia affirmat, Theologiam esse vnam scientiam. Est omnium Theologorum, tum in Prologo sententiarum, tum cum S. Tho. P. P. q. 1. a. 3. Variant autem in assignanda radice huius specificæ vnitatis: omnes tamē convenire debent, eam desumendam esse ex vnitatem obiecti formalis; Nam, ut constat ex Philosophia, radix omnis specificationis, atque adeo vnitatis potentiarum, actuum, & habituum desumenda est ex obiecto formali. Quare si probaui Theologiæ obiectum formale esse vnum, efficaciter probaui eam esse vnam. Rursus, quia habitus Theologicus generatur ex actibus, & actus non generant nisi habitum sibi simile: si probaui omnes assensus Theologicos niti eadē ratione & motiuo formali, efficaciter etiam probaui, eadem ratio-

ne & motiuo formali niti habitum Theologicum, cū idem sit motiuum formale habitus & actus: Hoc autem sic probo.

84. Vnitatem obiecti formalis assensus desumitur ex vnitatem rationis, quā potentia ipsa mouetur ad assensum eliciendum. Atqui ratio, qua intellectus mouetur ad assensum Theologicum eliciendum, est vna specie: ergo & assensus Theologicus erit vnus specie. Maior patet: quia quod mouet potentiam ad actum, concurret ut causa proxima ad illum efficiendum, atque adeo illi speciem & vnitatem tribuit: omnis quippe causa proxima, ut inductione constat, speciem tribuit effectui, quem producit. Minorē probo: Nam ratio proxima, qua mouetur intellectus ad assentiendum conclusioni Theologiæ, est ipsa reuelatio Dei virtualis, quæ eadem est in omni assensu Theologico. Maior elucet: Nam ratio proxima assentiendi conclusioni Theologiæ est, quia illa implicitè & virtualiter continetur in aliquo principio reuelato, & propter hæc virtutem continentiam illi assentimur. Igitur proximum motuum assensus Theologici est reuelatio Dei virtualis. Minor probatur, quia omnis assensus Theologicus supponit aliquod principium reuelatum, ex quo per naturalem discursum deducit nouam veritatem: ergo ad omnem assensum Theologicum concurret virtualis reuelatio, ut ratio proxima assentiendi. Consequentia constat: Nam virtualis reuelatio non est aliud, quam ipsa virtualis continentia conclusionis in principio reuelato: ergo hoc ipso, quod intellectus assentitur conclusioni propter implicitam & virtutem ipsius continentiam in principio reuelato, mouetur ad assentiendum propter virtutem reuelationem.

85. Confirmatur: Nam quemadmodum omnes assensus fidei sunt eiusdem rationis, eod quod omnes nitantur eodem motiuo reuelationis formalis: ita omnes assensus Theologici erunt eiusdem rationis, eod quod omnes nitantur eodem motiuo reuelationis virtualis. Neque principium naturale coniunctum cum supernaturali reuelato variat hanc virtutem reuelationem, quia non concurret præcisè ut naturale, sed ut participans virtutem reuelationem: quia concurret ut virtualiter contentum in principio ipso reuelato.

86. Hinc deducitur 1. Assensum Theologicum, qui nititur principio reuelato credito Fide humana, esse diuersum specie ab assensu Theologico, qui nititur principio reuelato credito Fide Diuina: & consequenter habitus vtriusque esse etiam specie diuersos: siquidem motiuum vnus est testimonium humanum, motiuum verò alterius est testimonium Diuinum virtuale: quæ duo motiua specie differunt inter se. Omnes tamen assensus Theologici ex principiis reuelatis creditis fide humana sunt eiusdem speciei, quia omnes nituntur eodem motiuo proximo Fidei humanæ.

Aureolus.
Molina.
Granadus.

Capreolus.
S. Thomas.
Scotus.

87. Deducitur 2. Theologiam non esse vnam simplicem qualitatem, sed plures habitus distinctos numero, quorum vnusquisque inclinatur ad distinctam numero conclusionem, sub eadem tamen ratione formali, sub qua omnes conueniunt. Est Aureoli q. 2. Prologi art. 4. ad *prima obiecta*, Molina & Granadi loco præcitato. Fundamentum est: quoniam in mea sententia, ad quam teste Capreolo q. 3. Prologi art. 1. post primam conclusionem S. Tho. magis inclinatur, eamque aperte docet Scotus in Prologo q. 2. Laterali 6. de 2. quibus habitus acquisitus consistit in speciebus relictis ex præteritis actibus in potentia. Atqui species vnus assensus numero differunt à speciebus alterius assensus. Ergo. Confirmatur quoniam non statim acquisito habitu ad vnam conclusionem, acquiritur habitus circa reliquas: ergo habitus inclinans ad vnam est numero distinctus ab habitu inclinante ad alias.

88. *Obijcies* 1. Reuelatio virtualis in Theologia se habet, vt abstractio in scientijs: sed abstractio in scientijs non habet rationem motiui, sed puræ conditionis: ergo & reuelatio in Theologia. Confirm. Nam ratio motiua debet esse intrinseca obiecto formali: sed reuelatio non est intrinseca obiecto formali Theologiæ, cum sit extrinseca denominatione ab actu Dei reuelantis. Resp. Nego Maiorem: Nam abstractio in scientijs non est motiui assensus scientifici, sicut virtualis reuelatio est motiui Theologici assensus in Theologia. Ad Confir. Nego Maiorē, vt patet in obiecto Fidei, cuius ratio formalis est auctoritas dicentis, quæ non est intrinseca obiecto credendo. Vt enim ratio formalis possit mouere intellectum ad assensum, sufficit, vt cum illo apprehendi possit per modum vnus.

89. *Obijcies* 2. Assensus scientifici specificantur à conclusionibus: ergo etiam Theologici. Confirm. Nam Theologus diuersos format conceptus de Deo Trino & Vno, atque de Sacramentorum institutione. Resp. Negando antecedens: etenim assensus scientifici specificantur à medijs, quæ sunt principia ipsorum assensuum, non autem à conclusionibus. Vnde quando diuersæ conclusiones diuersis cognoscuntur medijs, diuersos pariunt assensus, non propter diuersitatem ipsarum conclusionum, sed mediorum, quibus illæ cognoscuntur: eodem enim medio plures possunt conclusiones diuersæ cognosci, & probari. Cum igitur omnes conclusiones Theologiæ nitantur vnicō medio reuelationis virtualis, non specificantur diuersos assensus.

90. Ad Confirmationem concedo de conceptibus apprehensiujs, qui præcedunt assensum illarium, vt conditiones prærequisite: Nego autem de assensu ipso illatiuo. Explico: vt intellectus possit elicere hunc assensum: *Christus est risibilis*; *Pater distinguitur à Filio*: prius formare debet simplices conceptus terminorum, nempe de Christo

risibili, & de Patris à Filio distinctione: qui quoniam sunt de terminis diuersis, ipsi etiam erunt specie diuersi: verum non in ijs consistit formalis assensus Theologicus, quem tales conceptus apprehensiujs præcedunt vt conditiones prærequisite, sine quibus assensus ipse elici non posset; sed in actu illatiuo, quo conclusio inferitur ex principio reuelato, vt in eo virtualiter contenta. Et quia hæc virtualis continentia est eadem in omni assensu Theologico, omnis assensus Theologicus erit eiusdem rationis, etiam si supponat conceptus apprehensiujs terminorum diuersæ rationis, vt conditiones necessariæ prærequisite: Quia, vt docet S. Thomas p. 2. q. 8. art. 3. & Scotus in Prologo q. 2. Laterali 6. de secundo, necesse est, vt eodem actu simul cognoscatur principium, & inferatur conclusio: id tamen, à quo actus specificatur, est ipsum motiui formale, quo intellectus mouetur ad assensum conclusioni præbendum.

91. *Obijcies* 3. Sæpè Theologia ad suas conclusiones tuendas vititur principijs purè naturalibus: ergo non potest esse vna. Resp. Nego Theologiam, quæ Theologia est, vt principijs naturalibus ad suas conclusiones tuendas, sed quæ coniunctas habet in eodem subiecto alias scientias: quarum ministerio vititur ad suas conclusiones tuendas. Sicut interdum vna virtus vititur ministerio alterius ad se ipsam tuendam; veluti castitas ad se ipsam contra corruptorem tuendam vititur ministerio fortitudinis.

92. *Obijcies* 4. Deus in reuelanda Theologia se habet vt præceptor: sed possunt ab eodem præceptore plures scientiæ addisci: ergo potest homo plures habitus Theologicos distinctos habere. Resp. Distinguendo Maiorem: habet se Deus in reuelanda Theologia, vt præceptor proponens reuelata, solā proponentis auctoritate credenda, concedo: & tunc nego, ab eodem præceptore plures addisci posse scientias: quia tunc omnia creduntur sub eodem motiui formali auctoritatis præceptoris proponentis. Habet se Deus in reuelanda Theologia, vt præceptor proponens reuelata, cognoscenda sub proprio motiui, & ratione formali intrinseca ipsarum rerum, quæ proponuntur cognoscenda, nego: In quo tantum casu multiplicarentur scientiæ ad multiplicationem rerum, quæ proponuntur cognoscendæ.

93. Ad Fundamentum 1. Nego Minorem: & ad eius primam probationem nego practicum & speculatiuum non posse sub vna ratione formali conuenire, vt patet de Fide, quæ sub vno motiui formali Diuinæ reuelationis tendit ad vtrumque obiectum practicum & speculatiuum; eadem quippe Fides credit Deum esse Trinum & Vnum, & simul summè diligendum, quod est practicum obiectum. Neque Ethica & Metaphysica ex eo tantum specie differunt, quod vnus obiectum sit practicum, alterius verò speculatiuum, sed quia non habent vnam ra-

Thomas.
Scotus.

tionem

tionem formalem communem, ut ex Philosophia suppono. Ad 2. Nego Maiorem: Nam de Deo agit Theologia primario, de creaturis vero secundario, & in ordine ad Deum.

94. Ad Fundamentum 2. Patet ex dictis: falsum enim est principium naturale specificè variate adæquatū motuum assensus Theologici; quippe quod ad assensum non concurrat, nisi ut virtualiter reuelatum, & implicitè cōtentum in ipsa propositione expressè reuelata, sub qua ratione omnia principia naturalia conueniunt. Ad Confr. Nego consequentiam: Nam maior illa certitudo, qua vna conclusio Theologica differt ab alia, non est diuersæ speciei; quippe cum vtraque pendeat ab eadem reuelatione virtuali, sed maioris duntaxat intentionis intra eundem gradum certitudinis Theologicæ.

SECTIO VI.

An Theologia sit practica, an speculatiua, an vtraque simul?

95. **A**D Definiendum, an Theologia sit practica, an speculatiua, definiendum prius est, quid practicum, quid speculatiuum sit. Est autem speculatiua scientia, teste Philosopho 2. Metaphysices cap. 1. intrinsecus finis veritas; practica vero opus. Opus igitur quod & *regis* Græcè dicitur, obiectum est practicae scientia: sicut & veritas, ipsa videlicet rei notitia, obiectum est speculatiue scientia: Vnde hæc gratia sui esse dicitur, quia suæ solius contemplationis causâ est; illa verò gratiâ alterius, quia consistit in sola veritate sui obiecti cognoscenda, sed ulterius tendit ad actum, seu opus à se distinctum dirigendum regulandumve: Vnde quidquid est intellectualli notitia regulabile, siue dirigibile, obiectum est practicae scientia. Quare falsò Scotus q. 4. Prologi §. dico igitur, ab obiecto practicae scientia excludit actum intellectus; definiens praxim, ad quam cognitio practica se extendit: esse actum alterius potentia, quam intellectus, naturaliter posteriorem intellectioni, natum elici conformiter rationi recte, ad hoc ut sit rectus: etenim non solum operationes externæ, internæque appetitus, sed ipsæ etiam operationes intellectus sunt regulabiles, & dirigibiles per notitiam practicae priorem; ut omnes speculatiue scientiae practice diriguntur per Logicam, cuius est omnes scientias regulare, & per certas regulas syllogisticæ formæ dirigere. Item omnes actus scientiarum sunt moraliter regulabiles à virtute studio sitatis; cuius est certū modū in studendo præscribere iuxta regulas prudētiæ.

96. Ex his colligitur 1. In actibus duplicem reperiri posse rectitudinem, alterā moralem in ordine ad mores; alterā artificialem in ordine ad artem. Potest enim interdum opus rectum esse secundum artem, obliquum verò secundum mores: & vice versâ, re-

ctum secundum mores, si recto fine & intentione fiat, obliquum verò secundum artem, si regulas artis non attingat.

97. Colligitur 2. Non solum actiones, & factiones, quæ sunt circa externa opera, sed ipsas etiam speculationes esse obiecta scientia practica, ac proinde praxes, sub diuerso tamen respectu: Nā dicitur speculatio, quatenus est cōtemplatio veritatis; praxis verò, quatenus ipsa veritatis cōtemplatio regulatur à scientia practica secundum circumstantias loci, temporis, & modi speculandi.

98. Colligitur 3. Non sat esse, ut scientia sit practica, ut versetur circa obiectū suapte natura operabile, quāvis hoc necessariò requiratur; sed necessarium præterea est, ut versetur modo practico. Etenim dupliciter versari potest notitia circa obiectum operabile, vno modo cognoscendo tantum naturam ipsius; alio modo dictando de modo ipso, quod tale opus est factibile. Prior est cognitio speculatiua, posterior practica.

99. Colligitur 4. Notitiam practicam supponere in ipso sciente liberā facultatem exercendi opus, cuius notitia ipsa practica est directiua. Defectu huius facultatis non est in Angelis practica scientia de castitate, eò quod nulla in ipsis sit facultas eliciendi castitatis actus. Defectu liberæ facultatis nequit de nutritione & augmentatione esse scientia practica in homine, quia tales actus non sunt in libera potestate hominis, atque adeo nec ab ipso practice dirigibiles.

100. His adnotatis, difficultas est, an Theologia nostra sit practica, an speculatiua, an vtraque simul. Suppono autem ex cōmuni sententia scholasticorum, contra *Agilium* & *Argentum* q. ult. Prologi & *Argentum* q. 4. artic. 3. scientiam adæquarè diuidi in speculatiua & practica, nec dari tertium genus scientiæ, quæ nec sit practica nec speculatiua, sed tantum affectiua, qualem præcitati Auctores contendunt esse nostram Theologiam: eò quod illa pro obiecto respiciat affectionem seu dilectionem Dei: quæ nec est speculatiua, cum sit nobilior speculatione; nec practica, cum eius obiectum non sit operabile à nobis. Etenim falsum est Theologiæ nostræ obiectū esse dilectionem Dei; & esto sit, illam neque esse speculatiua: neque practica: nam aut versabitur circa illam contemplando naturam ipsius, & sic erit speculatiua; aut dirigendo media ad ipsam consequendam, & sic erit practica. Neque ad hoc, ut scientia sit practica, requirit ut immediatè possit operari circa finem, sed sat est si operari possit circa media, quibus finem consequimur; alioqui nulla virtus, quæ circa Deū versatur, posset esse practica: eò quod nulla virtus immediatè operari possit circa Deum. Hoc autem supposito,

101. PRIMA Sententia docet Theologiam nostram essetatum practica est Scoti q. 4. Prologi §. ad quam igitur. Aureoli q. 3. art. 1. & aliorum. Fundamentum est: quia omnis Theologica notitia ordinatur ad cōsecutio-

Aristoteles.

Scotus.

Agilium.
Argentum.